



BASILIVS & Constantinus fratres, Romani iunioris filij, post Ioannē Zimiscen Constantinopoli imperant anno mundi 4938. à Christo nato 976. nullique diuturnius imperarūt, nam annos 53. præfuerunt: ille 50. hic treis etiam solus, post fratrem: & ne sine ciuili bello rem transigerent Bardæ Scleri ambitio effecit, quem imperium inuadentem, victum ad Persas fugarunt. postea Phocam, egrè ferentem se contēni post rem in Sclerum se duce egregiè nauatam, in acie cæsum, ac tyrannidem vsurpantem superarunt. Inde Bulgari victi sunt præliis aliquot: horū 15. milibus captis oculos eruit Basilius, vno tātūm incolumi, qui ad Samuelem eorum Ducem præiret: idque ad compescendam eorum perfidiam, qui Thraciam, Macedoniam & Græciam flammis & ferro vastarant. Tunc demum Bulgaria tota subditur imperio Constantinopolitano, quæ in illum vsque diem semper rebellarat: mœrore ob id confectus Samuel, nō ita diu vixit. Obiit autem septuagenario maior Basilius, cui per treis annos successit Constantinus frater, qui cum eo dignitatis potius quàm potētis particeps fuerat: hic totus deliciis diffluens, gulæ, veneri ac ludis operam dedit. Vide Egna. lib. 2. Cosmo. Mun. lib. 4.

ROMANVS Argyropylus Constantini, de quo hîc meminimus, gener, eidē vitrico successit in imperio, anno mundi 4991. à Christo nato 1029. hic sub initia, liberalis fuit: verū cum parum ex sententia illi cessisset in Saracenos expeditio, statim ignauis ac pecuniæ corradendæ se totum tradidit. Zoæ vxoris salacissimæ ac sterilis insidiis, & Michaëlis Paphlagonis adulteri, dolo intra balneas immerfus obiit, anno imperij sexto. Vide vt supra.